

D E O D U C E

Meditatio Sanctæ Epistolæ,

DOMINICÆ II.

POST EPIPHANIAS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cum o-
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia.

P R Æ S I D E

DN. ÆSCHILLO PETRÆO,

S. S. Theolog. Doctore & Episcopo Aboënsi.

Examini subicit, in Auditorio Majori, horis solitis

Ad diem 16. Junij. Anni 1653.

JOSEPHUS GEORGII MOJERUS.

K T R O E N S I S.

Anselmus in hunc locum.

Nolite formam huius seculi vobis imprimere, ut similes efficiamini. huius seculo nequæ
sed reformamini, id est, rursus formamini, ad imaginem Dei, quæ in vobis
per peccatum deformata est, ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo for-
mata est.

Ambrosius :

Gratia, peritiâ intelligitur dominicæ disciplinæ, per quam humilitati & iustitiæ Audens
dum tradit.

A B O Æ,

Excusa Typis Acad. apud Viduam Petri Wald. An. 1653.

Eruditione, Pietate, Morumq; integritate conspicuis VIRIS.

Dn. Severino Matthæi Birkal-
manno, Pastori in *Messulylä* vigilantissimo.

Dn. Erico Georgij Pastori in
Mouhissärvi Solertissimo.

Dn. Thuroni Theodorici Pasto-
ri in *Kyro* dignissimo, affini dilectissimo.

Dn. Henrico Johannis Pastori
in *Långelmä* meritissimo, consanguineo Charissimo,

Dn. Abrahamo Josephi Pastori
in *Tyrvis* impigerrimo, cognato per dilecto,

Dn. Henrico Gregorij, Verbi
Div: Minist: in *Wirmo* perassiduo, patrueli suo peramando.

Dn. Promotoribus, fautoribus, &
benefactoribus suis jugiter colendis, Homiliam hanc
Sacram in grati animi signum, pro beneficijs sa-
piissime in se collatis, per quam officiose

Dedicat & offert

IOSEPHUS G. Mojerus Respondens.

MEDITATIO EPISTOLÆ
DOMINICÆ II. POST
EPIPHANIA S.

In Sanctæ & Summæ laudandæ TRINITATIS, PATRIS,
FILII & SPIRITUS Sancti Nomine.

BEata gens, cujus est Dominus Deus ejus: Populus quem elegit in hæreditatem sibi, De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De preparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram. Qui finxit simul corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. Psal: 33: v. 12, 13, 14. 15. Quibus verbis Psalmista. 1. De prædicat & commendat sortem & conditionem verè piorum, videlicet, quorum Deus est Dominus, populi illius conditionem quem Deus in hæreditatem elegit. Cujus conditionis etiam David Psal. 27. v. 4. & 5. se participem fieri cū primis gestit, dicēs: Unam petij à Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini & manè visitem templum ejus. Et Psal. 84: 1. Quàm dilecta tabernacula tua Domine exercituum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et Psal. 122: 1. Latatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domū Dñi ibimus. 2. Refert Psalmista, quàm accuratus inspector Deus sit in eorum vitâ, quorum vult esse Deus. Deus, inquit, de cælo respexit, & vidit omnes filios hominum, de thro-

no luo firmo respixit super omnes, qui habitant in terrâ, qui finxit simul corda eorum, qui intelligit omnia eorum opera. Quibus verbis indicatur Deum non requirere à suo populo, ut vivant secundum carnem & concupiscentias proprias, sicut bruta animalia, sed existimēt multum interesse inter se & quadrupedem, sive animal irrationale, cui Deus nullas leges posuit, & saltem ductu naturæ vivere permisit. Sed ut vivant congruenter legi Divinæ, decem præceptis, primæ & secundæ tabulæ. Accuratè etiam intuetur eos, an vivant ita, vel non vivant, frequentat eorum domos publicas & privatas, exercet eos Schola virtutum, quas ipse nobis præscribit. Has magno catalogo recenset Apostolus in hoc Epistolico textu.

O Remus etiam DEum ut hanc Epistolam ita meditari queamus, ut cedat in nominis Divini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinæ, & bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in æternam beatitudinem: Dicamus igitur: Pater noster, &c.

TEXTUS Rom: 12. à. v. 6. usq; ad 17.

Habentes autem donationes secundum gratiam, que data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium, in ministrando, sive qui docet, in doctrinâ: Qui exhortatur, in exhortando: Qui tribuit, in simplicitate: Qui præest, in sollicitudine: Qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adherentes bono. Charitate fraternâ vos invicem ex animo prosequentes: Honore in vicem prævenientes. Stu
dio

dio, non pigri: Spiritu ferventes. Tempori servientes. Spe gaudentes, tribulatione patientes: Orationi instantes. Neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſeclantes. Benedicite perſequentibus vos. Benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Idipſum invicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus vos accommodantes.

Donorum varietate Eccleſiam Dei ornatam eſſe, fatetur Apoſtolus, & quidem ex gratiâ, dono prophetandi, dono adminiſtrandi officium in Repub. & Eccleſiâ, docendi, admonendi. Eſſe aliquam facultatem dandi, miſericordiam faciendi. Preſcribit deinde præcepta quædam de exercendâ Charitate, ut odio habeant malum, perfeverantes in bono, ſint invicem familiares in fraternâ charitate, alius alium præveniat mutuo honore, ne ſint tardi & negligentes in bono propoſito, actionibus, ſint ferventes in Spiritu, accommodantes ſe tempori, gaudeant in ſpe, patientes in triſtitiâ, orent, impertiant de ſuis facultatibus Sanctorum neceſſitatibus, ſint hoſpitales, benè loquantur de malè cupientibus eis, & benè cupiant eis, gaudeant cum gaudentibus, fleant cum flentibus, nè ſeipſos nimis diligant, ſed exiſtiment ſe ut inferiores. Ad utramq; tabulam Spectantes virtutes habemus in hoc textu: egregias & numero multas. Ad primam tabulam & præceptum ſecundum pertinet Sincera explicatio ſcripturæ. S: ad tertium præceptum ſpectat officium docendi in Eccleſia, non ſolum explicacione Scripturæ, ſed etiam admonitione, adhortacione, correctione, conſolatione. Reſ
liqnæ

liquæ virtutes ad tabulam Secundam, partim ad primam
pertinent. *Excitatur ad orandum: Sanctificetur
nomen tuum, Adveniat regnum tuum, fiat volun-
tas tua. Sc.*

P A R T E S.

1. De vero & recto usu donorum variorum.

2. De Adhortatione Apostolicâ ad virtutum ex-
ercitium.

P A R S P R I M A.

In qua meditatur:

I. Apostolicam de donis con-
cessis confessionem. Habemus, inquit Apo-
stolus, donationes secundum gratiam, quæ data est nobis,
q. d. Apostolus, non negandum, sed præ nobis ferendam
& confitendum quod non modò habemus veram syn-
ceram, & salutarem doctrinam, quam etiam vobis an-
nunciamus, quod magni doni & quidem summi instar
est habendum, sed data sunt etiam varia dona ad felici-
ter expediendum incredulorum gentium conversione
finè quibus hæc res in animis hominum difficilius suc-
cederet. Confirmabat Apostolus hanc doctrinam se-
quentibus miraculis, non quòd doctrina aliàs in se non
esset certâ, sed quia auditores fidem meliùs habebant,
videntes miracula. Arguit quidem Christus nimis in-
hiantes miraculis, sic dixit Regulo isto: Nisi prodigi-
& miracula videritis non creditis; Joh. 4. Molestè fert
quòd Pharisei miracula de coelo petebant, quamvis sa-
tis

ris superq; miracula fieri videbant in terrâ à Christo.
Matth, 12. 39.

L. C. Gratiarum actio est ingenua beneficiorum
& donorum Dei confessio, siue de se fiat, siue de alijs; &
ubicunq; dona Dei conspiciuntur. Proinde David
Psal. 10. v. 1. & seq. recenset opera & beneficia Dei.
Et Psal. 107. Non exiguo numero opera Dei recensentur,
videatur totus Psalmus, Evangelistæ etiam miracula
Christi celebrant, confitentes illa Quot Christi millia fa-
turaverit, quam exiguo de præputario, quot corbes reli-
quiarum fuerint. Quot pisces dederit piscantibus disci-
pulis. Non itaq; celanda & occultanda Dei opera, &
beneficia, sed longè lateq; annūcianda sūt, Tob; 12. 7. Qui
itaq; dissimulant, vel negant se aliquid boni in piscatu,
in venatu, in agriculturâ, & consimilibus, accepisse, cum
tamen donis & beneficijs Dei exornati sint, pro ingratis
hominibus habendi sunt. Reprehendit Christus nos
vè Leprosos mundatos, quòd non reverterentur ad dan-
dum laudem Deo, præter unum illum alienigenum sa-
maritanum, qui, ut mox vidit, quòd mundatus esset, nō
occultè hoc habet; Sed palàm coram omnibus profite-
tur se à Christo mundatum, regreditur etiam ad Chris-
tum, magnâ voce glorificans Deum, quem Christus
quòq; à se dimittit honorifico testimonio: Vade, inquit,
ens, fides tuâ te salvum fecit. Luc: 17. Graviter in-
vehitur Moses in ingratitudinem Populi Israëliti-
ci. Deut: 32. Sed & hoc probè tenendum, observandumq;
dum confitemur divina dona, ne inde efferamur & no-
bis aliquid tribuamus; Sed ut dicamus: Non nobis
sed nomini tuo da gloriam Psal. 115. 1. Recensebat suas
virtutes Phariseus & inde superbiebat, sicut & illius gra-
tiarum actio superbiâ redolebat & vituperabilem pro-

ximi contemptum. Luc: 18. Deus non dat gloriam suā,
ex suis donis alteri.

II. Varietatis donorum confessionem. Confitetur Apostolus, quòd ha-
buerit Ecclesia in illo tempore varia dona. De do-
norum varietate copiosè disserit Apostolus 1. cor: 12.
v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

*L. C. Quæ binc doctrina petenda, disserit A-
postolus, 1. cor: 12. v. 12. & seq. ad v. 31. Quam-
vis verò jam in Ecclesia non tanta sit varietas dono-
rum, quanta Apostolorum tempore erat, tamen Deus
distribuit peculiariora dona, quibus unusquisq; gaudet &
alteri inservire potest. Sic donis distribuendis tantum
modò videndum, ut quilibet qui accipit, ad bonum pu-
blicum & proximi utatur & fruatur. Non nobis
solum nati sumus, sed patriæ, sed amicis &c. Ut
Ethnicus Cicero gravitèr & scitè dixit.*

III. Gratia Dei confessionem
Confitetur Apostolus hæc dona, quibus Ecclesia
coronatur interdum, esse varia, sed non ex merito, sed
ex gratia data. Habet Ecclesia magna privilegia &
promissiones bonorum temporalium & Spiritualium,
juxta illud 1. Tim. 4. 8. pietas ad omnia utilis est, pro-
missionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Ta-
men non adscribit sibi tanquam promerenti; Quid e-
nim habemus quod non consecuti sumus a Deo

*L. C. Qui in omnibus, magnis & parvis Dei do-
nis, agnoscunt divinam gratiam, fontem omnium bo-
norum*

norum, & nihil sibi tanquam ex merito & condigno attribuant, illi rectè sentiunt de Dei donis, illi rectè Deo gratias agunt. Qui verò secus faciunt, non rectè propterea laudant, nec illorum gratiarum actio grata est. Exemplo est Pharisei gratiarum actio. Luc: 18. descendit domum suam non justificatus, eritq; qui se extollit humiliabitur. 1. Cor: 15. 10. Inquit Apostolus: Gratia sum, id quod sum & gratia Dei non fuit frustra in me, sed plus reliquis omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est, sive ego, sive illi sic prædicamus & sic credidistis. Vult etiam Deus, ut gratia Dei, quam dat simus contenti. 2. Cor. 12. 9. Sufficit tibi gratia mea. Gratia Dei in nobis non negligenda. 1. Tim: 4. v. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Ita Apostolus scribit 2. cor. 3. v. 4. 5. 6.

IV. Usus donorum declarationem. Habet aliquis, inquit, Prophetiam, sit illa analogia fidei. Habet aliquis officium, habeat illius curam. Docet aliquis, attendat doctrinæ. Si quis adhortatur, attendat adhortationi. Dat aliquis, det in simplicitate. Imperat aliquis, imperet cum curâ; Facit aliquis misericordiam, faciat hoc cum gaudio; Non quidem nominat Apostolus hæc ut dona, tamen revera sunt. Prophetia enim est donum Dei, Esse vocatum ad officium docendi in Ecclesiâ; donum est, & donum præsupponit, Facultas & aptitudo docendi est donum Dei, item admonendi & adhortandi. Habere aliquid quod communicet, est donum. Esse aptum imperio, est donum. Esse misericordem erga egenos, est etiam divina quædam inclinatio, ut illam exerceamus cum gaudio.

L. C. Donis Dei rectè & piè utendum, secus magis

gis obsunt, quàm profunt dona. Usus donorum talium in Ecclesia commendat Apostolus illum, qui est membrorum unius corporis ad se invicem, unum membrum alteri succurrit, juxta suam qualitatem & naturam, nullum membrum alteri nocet. Vide 1. cor. 12. v. 14. usq; ad finem.

SECUNDA PARS.

Habuius in prima parte donorum doctrinam in Ecclesia; In hac altera parte quadam virtutes lustranda.

In qua meditatur:

I. Charitatis descriptionem.

Charitas, inquit Apostolus, sit sine hypocrisi. Scivit Apostolus quàm commune fuerit, & sit, vitium in mundo, simulare Charitatem & nocere sub nomine amici. Cain simulans Charitatem erga fratrem Abelem, seduxit eum in campum, & occidit eum, Gen. 4. Judas prodidit Christum osculo, quod Christus ei mox objicit dicens: Juda, prodis tu filium hominis osculo? Paulus in periculo se fuisse ait inter falsos fratres, 1. cor. 11. 26. Tale vitium simulationis amicitiae in gentibus & Deum ignorantibus fuit familiare, sicut & alia vitia; Ideoq; Apostolus jam hortatur ad Synceram & infucatam amicitiam, qualis inter David & Jonatham fuit. Dilectio, inquit sit sine simulatione. Licet homines non intelligant fraudem statim hypocritarum, tamen illa Deum non latet, Deus non deridetur.

L. C. Quàm sedum vitium simulatio, dum dulcia quis loquitur; Et fel habet in corde pulchro, exponit

nit S. Iacobus Cap. 3. v. 1. Per totum. Hypocri-
tarum detestabiles mores depingit Psalmus 42: v. 5.
seq. ad 13. Negat David se velle mori cum talibus,
nec etiam conversari in hac vitá, Psal. 29: v. 1. Jus-
dica me Domine, quoniam ego in innocentia mea in-
gressus sum: Et in Domino sperans, non nutem. Pro-
ba me Domine & tenta me: Ure renes meos, & cor
meum. Quoniam misericordia tua antè oculos me-
os est, ambulavi in veritate tua. Non sedi cum cons-
cilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.
Odi Ecclesiam malignantium: Et cum impijs non
sedeba. Lavo in innocentia manus meas: Et cir-
cumdabo altare tuum Domine, Ut audiam vocem
Laudis tuae & enarrem universa mirabilia tua.
Domine diligo habitaculum domus tuae, & locum ha-
bitationis gloriae tuae. Ne perdas cum impijs Deus
animam meam: In quorum manibus doli sunt: Dex-
tera eorum repleta est muneribus. Ego autem in in-
nocentia mea ingressus sum: Redime me & miserere
mei. Pes enim meus stetit in directo, in Ecclesijs be-
nedicam te Domine.

II. Alterum virtutis exerciti-

um generale. Quod proponit Apostolus his verbis:
Odio habete malum, perseverate in bono. Hic Apo-
stolus in genere monet, ut, omne quod habet Spe-
ciem mali, & apparet malum, & sine dubio vitiosum,
dedecens & detestabile est, ut illud non amemus, sed po-

tius unicè odio habeamus. Omnis etiam hic simulatio damnatur, jubemur apertè aversari malum, non nominetur illud bonum quod, malum est, & vice versâ. Si quæ virtus ut Apostolus alibi loquitur, videlicet Phil: 4: v. 8. 9. Dicit illam amandam in ea perseverandam. Proclives sunt homines à virtute ad vitium, à bono ad malum, danda opera, ut odio habentes malum, adhæreamus bono, omnibus diebus vitæ nostræ.

L. C. Meminerimus ex nobis hoc dictum ab Apostolo. Odio habete malum, adhæreatis bono. Ad hoc etiam vocamur à Spiritu Sancto Psal: 34. v. 10. II. & seq. usq; ad finem. Vide Psal: 23: v. 6,

III. Specialium virtutum Catalogum. In quo occurrit præceptum amicæ conversationis mutæ in fraternâ Charitate. Unus alterum præveniat mutuo honore. Non jubet Apostolus, ut crebrò conversentur homines & omnibus se credant, putantes omnia ita tuta; Sed vult ut quando eundq; conversationem, in publico præsertim evitare non licet, ut ita probè affecti simus erga alios, ut honestatem invicem ostendamus, non simus vanæ gloriæ cupidi, non curemus primos accubitus, sed offeramus alijs superiorem sedem, præsertim æqualibus. Minime probat Apostolus Christi commensales, sicut & Christus eos corripit propter ambitionem, quòd quærerent primos accubitus. Docet eos potiùs confedendum ultimo loco, donec hospes dicet, amice ascende superius contigit tibi honor coram discumbentibus; At si te ipsum collacaveris & quidem in loco superiori, veniet hospes & dicet, da huic locum, & tunc, inquit Christus cum rubore incipies descendere.

L. C.

L. C. Modestia nobis commendatur, ne nobis
ipsis honorem rapiamus, sed contenti simus eo gradu
& loco, quem ille, in cuius potestate est distribuere loca
& sedes concedit. Imò civilitas & modestia etiam
non rarò se indignum reputat honore oblato. Quan-
ta autem incommoda resultant ex vanæ gloriæ cupidi-
tate, quæ secum habet rixas & contentiones, testatur
quotidiana experientia; Et adeò quidem omnes hoc
vitium invasit, ut non solum divites, sed etiam paupe-
res inter se, ob non concessum, petiitum & desideratum
honorem, rixentur & pugnent. Vah quantoperè na-
tura corrupta & vitiosa! Orandus Deus ut animum no-
strum inflectat ad modestiam & humilitatem, ut facile
concordiam colamus, & jucundam vitam degamus.
Ita Abraham intelligens litem moveri suis pastoribus,
à pastoribus & servis Lothi propter pascua, placide al-
loquitur Lothum dicens: Ne sit contentio inter nos &
pastores nostros, si tu vis ad sinistram ego, ad dextram
&c. Gen. 13.

**IV. Aliquot virtutum enume-
rationem, quæ cuilibet pro se ipso necessariae sūt.**
Cum soli sumus extra conversationem in quocunq; of-
ficio & opificio, prohibet Apostolus segnitiam & animi
remissionem sive desidiam, requirit itaq; sedulitatem.
Ne moveamur à proposito propter aliqua obstacula,
pericula vel alia incommoda, faciamus quod nostrum
est, prompto animo, non coactò. Dicitur enim; Ca-
nis, qui coactus venatur, non capit multas feras. Non
cogitandum, quis habet in me inspectionem, quid faciã,
diligens ne sim vel deses, meū est damnum si neglexero
aliquid & nihil habuero, vel quid habeo pro meo labo.

re? fortassis parum. Hæ cogitationes nequaquam a-
 lendæ, sed excutiendæ & disturbandæ sunt, Salomon
 remittit talia cogitantes ad formicam. Prov. 6. v. 4.
 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Ne dederis somnum oculis tuis,
 nec dormitent palpebræ tuæ. Ervere quasi capreolus
 de manu, & quasi avis de manu aucupis. Vade ad formi-
 cam ó piger & considera vias ejus, & disce sapientiam:
 Quæ eum non habeat ducem, nec præfectum, nec prin-
 cipem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in mes-
 se quod commedat. Usquequò piger dormies? Quâdo
 confurges è fornio tuo? Paululùm dormies, paululùm
 dormitabis, paululùm conferes manus tuas ut dor-
 mias: Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi
 vir armatus, si verò impiger fueris, veniet ut fons mes-
 sis tua, & egestas longè fugiet à te. Talis diligentia
 in opere, non potest esse segnis in animo, ideoq; mo-
 net Apostolus ut simus ferventes in Spiritu, & mox ad-
 dit, 1. **Serviendum esse tempori**, ut omnia rectiùs ex-
 pediâtur; Nam qui alieno tempore aliquid agit, is pa-
 rum successus experitur, cuilibet est suum tempus, in-
 quit Salomon Ecel. 3. **Per totum**. Non ita intelligendum
 quòd malitiam, fraudes, & inquinatos mores qui gras-
 santur nostro tempore, imitemur, dum aliquid facien-
 dum; Sed in hoc ars posita est, ut temporibus existentibus
 perversis, nos nihilominus piè vivamus. Si alij de-
 cipiunt nos, non decipiemus, si alij avari, fæneratores,
 & usuarij, nos non ita in animum inducamus; Sed
 oportet nos non inquinatos & mundos servare ab hoc
 immundo mundo. 2. **Cæterùm & hoc requiritur** ut
 probè nostra perficiamus videlicet, ut simus læti in Do-
 mino & quidem semper, in omnibus etiam adversis, ut
 Apostolus fufius hoc monet Phil. 4.

3. Patientia abesse non potest, idcirco & illa commendatur, Patientes inquit, in doloribus. Beati, inquit Christus, qui persecutionem patiuntur, beati qui lugent, eorum est regnum caelorum. Matth. 5. 4. Studium precandi; Instate, inquit Apostolus, orationi. Nequaquam opus manuum nostrarum probe curatur & succedit, sine studio orandi pro divina benedictione. Ita orat Moses Psal. 90. v. 13. & seq.

L. C. Perpendamus quid requiritur ad operum manuum nostrarum felicem & prosperum successum, videlicet. 1. Sedulitas & diligentia, fervor Spiritus & ardens studium faciendi ea, quae licita & necessaria sunt, tamen non necessaria omittenda. Requiritur. 2. quaedam prudentia & perspicuitas videndi, quid quo libet tempore expediat, si modo opera nostra talia sint, ut discrimen temporum requirant; necessaria 3. Laetitia in opere nostro, ut pijs canticis levemus laborem nostrum, vel alio modo, prout cujuscunq; status & conditio permittit, ne tristes simus & melancholici licet non semper ad nutum nostrum succedant, Syr: 7. v. 16, 17, 18, 19. 4. Si adversa inciderint, damna accedant, patientiam opus, ne propterea deseramus stationem nostram, perfer & obdura, nec crux te vexet ulla. 5. Quam positus fueris in statione, mane preces minime omittendae, sint preces initio operis, imò ante opus, in opere faciendo & continuando.

V. Virtutes aliquot respiciē

tes exercitium misericordiae exga proximum. Communicatio bonorum cum egentibus & quidem cum bonis. Hospitalitas, condonatio offensarum, gaudium cum gaudētibus, fletus cum flentibus, cōcordia, cōversatio cum inferioribus

L. C. Non sufficit cum Paulo posse recitare hunc catalogum virtutum, sed opus est & necessarium, ut simus imitatores Pauli, in exercitio harum virtutum

Sicut

Sicut de se testatur, 2. cor, 12, v. 27. 28. 29. 30. Orandus Deus, ut regat nos suo Spiritu. & studium virtutis in nobis excitet.

Clementissime Deus, pater cœlestis, qui delectaris Sancto & Grationali cultu, oramus te, ut gratiâ tuâ nos ad talem cultum semper disponas & præpares, ut ita tibi semper grati, grata faciamus juxta tuam voluntatem in verâ humilitate, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum & Spiritu Sancto vivit & regnat in aeternum. Amen.

Q U Æ S T I O N E S.

I.

AN cultus recto rationis Iudicio consonantes, Licet à DEO non præcepti sint, Deo displicere non possint, siquidem Paulus præcipiat, ut exhibeamus ratione obsequium? Resp.

φενδερ μνηεία est loci Apostolici, quòd obsequium rationale sit cultus divinus, cum ratione rectâ consonans, nullo Dei verbo præceptus, ut concludit Gregor. de valentiâ Lib. 2. de missa cap. 4. contra Heerbrandum. Quid enim sit λογική λατρεία habemus interpretem Apostolum Petrum, qui à Christianis exigit πνευματικὴν θυσίαν à quibus Paulus λογικὴν λατρείαν 1. Pet. 2. v. 3. λατρείαν autem pro θυσία, obsequium pro Sacrificio, suo more posuit Apostolus Paulus, scribit Erasmus in annotat. Fol. 374.

II. An de moderatâ carnis recreatione intelligatur rationale obsequium? R. Neg. Nihil enim ibi agit de maceratione corporis, sed victimam vivam ac rationis competentem requirit, quam opponit Sacrificijs Judæorum, qui non rationales victimas, sed brutas pecudes, non vivas, sed mortuas, immolabant. Viva autem & rationalis victima, nihil est aliud, quam homo ipse, qui se totum Deo offert, quando pietati operam dat: Corporis enim maceratio seu corporis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis

est, 1. Tim: 4: 8